

R. 46, 362  
7  
1

# SYNODVS

DIOECESEANA VALEN-  
TINA; CELEBRATA PRAE


sede Illustrissimo ac Reverendissimo D.

D. Ioanne à Ribera Patriarcha An-

tiocheno, & Archiepiscopo Va-

lentino, mense Maio,

Anno 1594.



Valentiae apud Aluarum Francū, & Gabrie-  
lem Ribas. Anno 1594.

14

15

16

17

SYNODVS

R. 46. 362

DIOECESANA VALEN-  
TINA, CELEBRATA PRAE  
sede Illustrissimo ac Reuerēdissimo D.

D. Ioanne à Ribera Patriarcha An-  
tiocheno, & Archiepiscopo Va-  
lentino, mense Maio,

Anno 1594.



Valentiae apud Aluarum Francū, & Gabrie-  
lem Ribas. Anno 1594.

IOANNES ARIBERA  
PATRIARCHA ANTI-  
OCHENUS, & Archiepiscopus Valen-  
tinus, parochis suæ dioe-  
sis Salutē in Dño.

**V** I D E O post tot Conci-  
lia generalia, prouincia-  
lia, diocesalia non mul-  
tum esse opus nouis legi-  
bus, pluribusq; decretis  
(quod memini vos a me  
commendatos, cum huic Synodo iam princi-  
pium daremus) sed in id potius nerui intē-  
dendi sunt, vt quæ salubriter sunt statuta,  
salubriter executioni mandentur. Est ni-  
hilominus opus crebris Synodis diocesa-  
nis (id quod sancta Tridēna Synodus sua-  
det, imo præcipit faciendum) primum  
quidem, vt quæ sunt sancte sancita, sed ho-  
minum incuria & negligentia (non enim  
dicā peruersitate, aut prauitate) in desue-  
tudinē abiire, reuocentur in vsum: dein-

EPISTOLA.

de vt si res ita exigat, quædam de nouo san-  
iantur. Vtrumque diuina miseratione in  
hoc breui Synodo cecidit non in felici-  
ter. Nam paucissimorum dierum dispen-  
satione perfecimus primo quidem, vt multa  
rudēter siue a præcessoribus nostris, siue  
nobis ipsis antea statuta, quæ tenebris  
obscurata videbantur, & extincta, in lucem,  
& vitam restituerentur: quæ mortua iā  
vixant, reuiuiscerent. Secundo quædam noua  
partim mihi, partim vobis in mentem ve-  
nerunt, affulgente haud dubie nobis etsi im-  
pugnabilibus patre luminū (qui enim duobus  
tribus in eius nomine congregatis ad  
medium, an non certius aderit nume-  
ro cætui parochorum suppliciter voca-  
ti) quæ vt spero succedent feliciter &  
voto. Ex his quædam digna visa sunt,  
e decretorum nomine donata magis sic  
mandentur, & fulciantur. Hæc igitur  
legem, quæ vobis ipsis probata fuerunt,  
mittimus typis excusa, vos iterum  
de vt iterum monentes, & per viscera mi-

EPISTŌLA.

sericordiae Deinoſtri obteſtātes vt eccleſiaſticarum legum, Synodaliumque decretorum executioni conſtanter & fortiter incumbatis: in hac enim totius eccleſiaſticae diſciplinæ cardo voluitur. Sic fiet, vt muneri vobis a me iniuncto ſatis faciatis, noſtræ de vobis conceptæ expectationi reſpondeatis & tandem (quod caput eſt omnium) omnipotenti Deo animarum veſtrarum iudici placeatis.



DECRETA

DECRETA DIOECEſanæ Synodi Valentinae.

*Titulares confraternitatum imagines in ſacris locis deinceps reponantur.*



Rauiter ægreque fert tota hæc Synodus, quod confraternitatum imagines pluribus nominibus iniquis, & in quas populus propensiori affectu eſt, in noſtra tamen vrbe minus decenter quam par eſt, habeantur. Inducuntur enim in cerdonum domos, & in eorum officinis, ſutrinis nimirum, aut textrinis collocantur, in quibus artes quaſtuariae, ac ſordida opificia exercentur, & merces profane venduntur: aliquando etiam in oenopoliis aſeruantur: & non raro incubiculis, in quibus ſtratis lectis noctu cubatur: & alia his ſimilia contingunt, quæ honori & reuerentiæ talibus imaginibus de-

I  
Decretū

DECRETUM

## DECRETA

bite parū congruunt. His accedit, quod ad nimiam solitudinem iam redactis ecclesiis parochialibus, Sabbatho ad vesperascente ad profanas illas laicorum edes a tota vicinia cōcurritur: ibiq; Salve Regina, gaudia, & aliæ preces à cantoribus & citharistis decantantur quasi in sacris ædibus. Imo etiam novēdiales itiones feminarum supplicandi aut voti exoluendi causa ad officinas illas post habitis templis itantium & ventitantium est videre. Decurso vero anno prædictæ imagines ad alterius opificis domum traducuntur sub umbella vel pallio per vias ornatas quidem tapetibus & auleis sed sine clero magna comitante caterua fabrorū qui in illa pompa cleri officiū vsurpant. Quæ omnia oculos eorum qui pie de rebus ecclesiasticis sentiunt vehementer offendunt. Quam ob rem nos prædictarum imaginum venerationi studentes, & ecclesiarum zelo tacti præcipimus sub late sen-

## SYNODI.

3

tæ sententiæ excommunicationis pœna Synodo vniuersa non modo approbante sed applaudente & acclamante, vt titulares confraternitatum imagines deinceps in locis tantum sacris, quæ confratres ipsi suo arbitrio delegerint, reponantur: nec in laicorum domos reducantur seruandę. Prepositis vero confraternitatum qui prædictas imagines in suis domibus nunc retinent, sub eadē pœna mandamus, vt intra triduum post huius decreti promulgationem in sacra loca transferant. In super confraternitates omnes monemus & amanter hortamur, vt prædictis suis imaginibus non minorem deinceps in ecclesiis honorē deferant, quam antea in suis ipsorū domibus, sed parem, aut etiam ampliorem.

*Mulierum operariarum officium tollatur de Ecclesiis.*

**A** Ccepit hæc Synodus à multis fide dignis, quā magnis sumptibus atq;

A 4 impen-

II

Decretū

DECRETA

impensis foemine in templis operariae dicte, quae ad festum assumptionis B. Mariae mense Augusto celebrandum eliguntur, munus illud suum tum in musicis & suffimētis, tum alijs in rebus peragant. Dolet etiam plurimum propter tumultuosum multorum ad huiusmodi festum concursum oblata impuris & parū religiosis occasione, abusus aliquot in diuina templa irrepisse. Cupiens itaque Synodus malis huiusmodi mederi, quibus maxime Deus offenditur, & ipsos etiam parochiarū incolas tot sumptib⁹ liberare, statuit neotericū hoc mulierū munus exterminare ab urbis Valentiae templis. Praecipimus igitur Synodo suadente, ne imposterum intra Valentiae urbis moenia ad praedictum sacrae Mariae festum operariae huiusmodi eligantur, & quae anno hoc electae sunt, ab eo officio desistant. Volumus etiam deinceps, quo magna haec festiuitas antiquum splendorem retineat, rectorem

aut

SYNODI.

4

aut rectoris loco vicarium vna cum clericis aliquot, & cum eo qui patinā Dei parae virginis toto anno circumfert, domos totius parochiae maturē circumire aduentante festiuitate praedicta, petitu-ros eleemosynam à tenuibus quidem tenuem, à ditioribus verò aliquāto pinguiorem. Sed praecipue eas quae hoc anno de lectae iam erant operariae, & reliquas quae ea conditione sunt, vt sperare debeant se ad hoc munus esse vocandas, hortamur; vt pro immensis sumptibus qui eas manebant, eleemosynam quotannis largiatur paulo copiosiore. Caeteros etiam parochianos tum viros tum mulieres monemus, vt alacri anime, & proinnato Valentinae genti in diuā Virginem studio, ad solemnitatem hanc B. Mariae totius anni celeberrimam sanctius etiam quam antea celebrandam accurrāt sublatis iam offendiculis ad quae antea, intra templa ipsa impingebatur. Ad moneatur etiam mature patinifer

A 5      prædi-

## DECRETA

prædictus, curam huius magnæ festiuitatis ad eum præceteris in parochiis intra vrbs Valentiaë muros post hac spectaturam.

*Vicarij ad omnes distributiones admittantur.*

**III**  
Decretū **I**N cunctis Ecclesiis nostræ diocesis vicarij, quoniam quasi prorectores sunt, admittantur ad omnes manuaras distributiones tãquã beneficiati. Quippe benigna hæc in vicarios indulgentia iure optimo debetur frugifero, imouero necessario ministerio, quo illi in ecclesia Dei funguntur.

*Missæ a parochis diebus Dominicis & festis semper pro populo celebrêtur.*

**III**  
Decretū **R**ectores & Vicarij, qui Missas pro populo celebrare tenentur, ne credant suo muneri atque obligationi fecisse satis, si diebus Dominicis & festis Missam dixerint nuptialem, seu  
pro

## SYNODI

pro præsentis corpore. imo vero prædictis diebus Dominicis in quam & festis debent Missam pro populo eis commisso celebrare.

*De fossore.*

**Q**Voties ex portandum est funus in alterum oppidum, placuit Synodo ob multas causas easdemq; aquas exportari comitate etiã libitinario seu effossore eius parochiæ, vnde funus effertur. Eius enim opera in funebri illo comitatu passim necessaria est. fossoris diaria merces octo solidi sint.

*De tabella nouo præfecto operum proponenda.*

**I**N Hierophylaciis seu sacristiis tabella suspendatur, aut parieti affigatur in qua ordine describantur omnia, quæcumq; ad præfectum operum ecclesiæ illius pertinent ex officio: atq; Rector seu etiam Vicarius teneatur, nouo  
operum

## DECRETA

do quacunq; ex causa, non celebrantur ab eiusdem beneficij beneficiato, scribantur omnes in codice rationalis, atq; earum stipendium penes collectorem eiusdem ecclesiæ sit: ut utriusque auctoritate atq; voluntate Missæ illæ dispensentur, & celebrentur: nec liceat in posterum predicto beneficiato pro suo arbitratu Missas illas cuiquam committere celebrandas.

*Excommunicatus ad reincidentiam quando sit denuo publicandus.*

**X** **C**VM excommunicatus & à parochio publicatus, pro rogationem & absolutionem obtinuerit ad tempus; parochus de curso illorum dierum spatio nō teneatur amplius illum in pulpito publicare, donec ab ipso iudice, qui dedit pro rogationem, iubeatur per nouas literas iterum publicare, non obstante superioris Synodi decreto.

Docto-

## SYNODI.

*Doctores qui examini præficiuntur.*

**S**ACRI Tridentini Cōcilij decreto obtemperantes, eorum examini qui vacaturis ecclesiis sunt præficiendi, sequētes sacre Theologiæ Doctores approbāte Synodo deputamus, quorum nomina sunt.

Doctor Franciscus Barber Canonicus  
Valentinus.

Doctor Eugenius Tudela Canonicus  
Valentinus.

Doctor Iacobus Ferruz Præpositus ecclesiæ  
Valentine.

Doctor Genesius Casanoua Præpositus  
ecclesiæ Valentine.

Doctor Antonius Galā Rector sancti  
Stephani.

Doctor Petrus Ioannes Assensus Rector  
S. Bartholomæi.

*Iudices qui causis ecclesiasticis præponuntur.*

**A**D causas vero ecclesiasticas & spirituales quæ ad forum ecclesiasticū  
perti-



DECRETA SYNODI.

pertinent in partibus à Sede Apostolica vel eius nunciis vel legatis committendas sequentes in hac diœcesi Valentina à Synodo nominantur, (declarat autem Synodus, quoties novi iudices causarum ecclesiasticarum in Synodis diœcesanis nominantur, cæteros omnes ipso facto ab eo officio desistere & cessare)

Dō Federicus à Borgia Archidiaconus & Canonicus ecclesie Valen.

Don Michael Vich Sacrista & Canonicus ecclesie Valentine.

Doct̃or Egidius Roda Canonicus ecclesie Valentine.

Don Petrus Andres Commendator S. Antonij.

L A V S D E O.

